

Adsit Favor Jehova!  
DISPUTATIO ACADEMICA.

De

# LIBERTATE PHILOSOPHANDI,

Cujus

Partem PRIOREM,

*Cum consensu Ampl. Facult. Phil. Acad. Abocnf.*

Sub PRÆSIDIO

# HENRICI HASSEL,

Eloquent. Profess. Reg. & Ord.

*Libere Philosophantium examini modeste submittit,*

S:æ R:æ M:is ALUMNUS

JONAS G. DAHLGREN

*Smolandus.*

D. XIV. Aprilis Anni MDCCXLIV.

*Loco horisqve solitis.*

---

ABOÆ, Excid. Joh. Kiæmpe, R. Acad. Typogr.

S:z R:z M:is  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
Reverendissimo Patri ac Domino,

# D: N: ERICO ALSTRIN:

S:S. Theologiaz DOCTORI Celeberrimo, Dice-  
celes Wexionensis EPISCOPO Eminentissimo,  
venerandi Consistorii Ecclesiastici ibidem PRÆ-  
SIDI Gravissimo, Gymnasiorum Scholarumq[ue]  
per Diœcesin EPHORO & ANTISTITI  
Vigilantissimo,

MÆCENATI MAXIMO.

**D**ubius omnino haesi, an pagellas hasce in-  
comptas, proprioque destitutas nitore, No-  
mini Tuo, Reverendissime Prælui, Celeberrimo,  
consecrare auderem; fama tamen singularis gra-  
tia

tio Tuo, qua Misarum alumnos excipere soles,  
sp'm mihi attulit certissimam, Te, Reverendis  
sine Pater, specimen hoc juvenile, qualemunque  
sit, ad pedes Tuos, ut testimonium perpetuae ve-  
nerationis & obseruantiae, depositum, serena &  
benigna adspecturum fore fronte. Hac igitur fi-  
ducia exitatus, paginas basce & me measque fortu-  
nas, misero patriae fato non ita pridem implicatas,  
favori Tuo humillime commendando. Aearum erit par-  
tium Deum calidissimis sollicitare precibus, velit Te,  
Mæcenas Maxime, cum Nobilissima Familia  
saluum & incolunem in multis Nestoreosque  
annos conservare.

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Devotissimus cliens  
**JONAS G. DAHLGREN,**

Maxime Reverendo atque

D. OLAVO

S.S. Theologiæ DOCTORI Celeberrimo, Wexio-  
ven. Consistorii Ecclesiastici  
MÆGENATI

Viro Admodum Reverendo nec non Praclarissimo Domino,  
Mag. ERICO FLEEGE,

Ecclesiarum. qvæ Deo in Kimito, Hitis/ Dragsfjard  
& Wästunfjard colliguntur, PASTORI meritisimo, &  
adjacentis districtus PRÆPOTTO dignissimo, ut per  
triennium & ad hue nutritio propensissimo, ita Pa-  
tronoo ac Promotori certissimo, qvovis obſervantia  
cultu ad cineres usqve devenerando.

Viris Admodum Reverendis atque Praclarissimis  
DOMINIS MAGISTRIS,

S.S. Theologiæ & Philosophiæ in Regio Gymnasio  
Wexionensi LECTORIBUS dexterrimis, Consistorii Ec-  
clesiastici ADSESSORIBUS æqvissimis, ut antea Præce-  
ptoribus meis fidelissimis, ita & nunc Patronis &  
Promotoribus optimis, omni honoris genere  
prosequendis.

*Amylliflma Domino,*

**OSANDRO,**

nensis Dicecelesos Archi-PRÆPOSITO dignissimo, &  
Pro-PRÆSIDI æqvissimo,  
MAGNO.

*Admodum Reverendo ac Praclarissimo Domino,*

**Mag. NICOLAO COLLJANDRO,**

Ecclesiæ in Elghult & Helleberga PASTORI meritissi-  
mo, & vicini districtus PRÆPOSITO adcuratissimo, ut  
antea Præceptorí fidelissimo, ita jam Patrono pro-  
pensissimo venerabunda mente suscipiendo.

*Admodum Reverendo & Praclarissimo*

**Dno Mag. JACOBO STOCKE,**

In Nåshult & Stenberga PASTORI meritissimo, Pro-  
motori & Evergetæ certissimo, qvavis observantia  
venerando.

Plurimum Reverendo & præclarissimo  
Dn. Mag NICOLAO GRÖNQVIST,  
In Venhöfda & Eleberga PASTORI meritissimo, Fauto-  
ri pia mente colendo.

Tentamen hocce levidense, Vobis, Meconas,  
Patroni, Promotores, Benefactores & Fau-  
tores, optimi, benignissimi, qualecunque sit, in-  
gratissimi animi pignus, ob varia sibi collata be-  
neficia, qua decet reverentia & pietate, dat, dicat,  
dedicat.

Max. Admod. Plur. Rever. Ampl. Præcl.  
**NOMINUM VESTRORUM**

Millimus & observantissimus  
cultur  
**JONAS G. DAHLGREN.**

§. I.

**P**er Libertatem philosophandi intelligimus facultatem de rebus philosophicis veram animi lententiam cum aliis communicandi. Vox quidem facultatis πολύτην. est, hic autem in eo lentu accipitur, ut designet id, quo a liquid liceat & sine justa reprehensione fieri potest, qui significatus nec infrequens est apud Optimos scriptores Latinos. Quid sit philosophia & res philosophicæ, qui vel tantillum literis operam dedit, fugere potest neminem. Animis sensa sive ore sive calamo, sive alio quounque modo pandantur, nobis hic perinde est. In potestate quidem hominis est situm, attentionem ad varia objecta convertere, sed quod verum esse deprehendit, sive per experientiam, sive per ratiocinationem, id pro fal-

A

10

<sup>2</sup>  
so habere nequit & contra. Quare veritas in  
se spectata libertati humanæ non subjacet. Id  
vero penes hominem est, suum de vero & fal-  
so judicium prodere vel supprimere, vel etiam  
contrarium proferre; adeoque hic locus omni-  
no conceditur libertati.

Hac igitur qui gaudet, aliis aperire potest,  
quid verum sibi, quid falso de rebus videa-  
tur, imo suam proponere sententiam, prout  
ipsi visum fuerit.

§. II.

**O**ppositum vero ejus, seu servitus est: quan-  
do quis libertate philosophandi non frui-  
tur, sed cogitur alienam sententiam tanquam  
veram defendere, utut a veritate maxime ab-  
horreat, & plane ei contraria videatur. Ser-  
vitutem hanc crassam serviunt omnes, qui ne-  
cessitate quadam adducti certa quædam dogmata  
profitentur. Verum dantur quoque alii, qui  
nulla urgente necessitate externa, coeco quodam  
affectu occupati, huic vel isti tecte ita se addi-  
cunt, ut ab ejus placitis ne latum quidem un-  
guem discedant. Atque hi, licet nihil proferant ab  
animi sententia alienum, corum tamen condi-  
tio

3

tio servituti æquipolle, in quantum auctorita-  
ti magis, quam rationibus obtemperant. Anima  
quippe libertatis est ratio, unde quæ præter e-  
jus dictamina judicium determinant momenta,  
in foro saltem philosophico servitutem redolent.  
Et quæ quis sponte amplectitur, illis quoque  
tenacius inhæret, quam quæ coactione externa  
obtruduntur.

### §. III.

**L**ibertatem philosophandi maxime necessari-  
am esse certissimis rationibus adstrui potest.  
Amplissime omnino patet Philosophia. Imo ad  
omnia, quæ unquam existunt, se extendit.  
Hinc pro multiplici objectorum varietate, plu-  
rimis quoque constat disciplinis. In singulis ea-  
rum infinita occurrit veritatum multitudo. Has  
eruere non unius hominis est opus, sed multi  
in id operam conferre debent. Qui autem ve-  
ram animi sententiam detegere non audet,  
quidquid cogitaverit, penes ipsam sepultum ja-  
cer, & cum suo auctore occidit. Nec ulla  
erit ætas, qua omnis, quæ exstat veritas in  
possessionem generis humani devenerit. No-  
va semper querenda sunt scientiarum augmenta.

Hæc autem exspectari non possunt, nisi ab ihs, qui quod invenerant in publicum edere, adeoque in communes societatis humanæ usus proferre sustinent. Nec majora incrementa scientiæ sibi polliceri possunt a sectariis. Hi namque jurant in verba Magistrorum, quorum ubi mentem percepérint, pedem ulterius preferre piaculum ducunt.

## §.IV.

**Q**uæ jam de necessitate Libertatis philosophandi adduximus, multum accipiunt lucis ubi experientiam temporum in subsidium vocaverimus. Imprimis autem ad Orientales attentionem convertere juvabit. Hi enim primi omnium philosophiam excoluerunt, & cum aliis deinde populis communicarunt. Quin autem in oriente olim floruerint scientiæ philosophicæ non est dubium, licet nulli corum libri ad nostram ætatem pervenerint. Artes variae ad illam proiectæ perfectionem, qua tantum vitæ cultum, ornatum, imo splendorem producere valuerunt, sine scientiarum mathematicarum & phycicarum subsidio ne fangi quidem possunt. Neque credibile est tam vasta imperia tanto temporis spatio

6

riū stare potuisse, absque solida nōrum doctrina  
& politica. Quid? quod Greci, qui internecino  
quodam odio orientales persequebantur, & per  
contemptum barbaros vocitabant, eruditionis glo-  
riam illis concedere coacti fuerint. Et confes-  
sionem hanc res ipsa extorsit. Multi namque  
eorum, philosophiæ discendæ causa adierunt ori-  
entem, viros ibi doctos convenerunt, eorum  
que institutione usi, quam acquisiverant sciēn-  
tiā in patria propagarunt. Id constat de Py-  
thagora, Platone, Aristotele, Euclide, Epicuro,  
ut ceteros prætereamus. Quemadmodum ex his  
ce liquet scientias in oriente viguisse, ita dis-  
quirendum nobis est ulterius, an ibi existiterit  
Libertas Philosophandi. Apud Ægyptios (nam  
& hos ad orientales referimus:) iidem erant &  
philosophi & sacerdotes. Horum ubique ma-  
gna erat auctoritas, & quidam eorum, regibus  
ipsis etiam a consiliis erant. Auditoria, ubi  
docebant erant tempa, ut doctrinam eo magis  
publicam ficerent. Methodus eorum docendi  
erat duplex. Aut enim clare atque perspicue  
proponebant sapientiam, aut obscure sive per  
symbola. Res ad philosophiam pertinentes cla-  
ris

ris verbis docebant; arcana vero religionis characteribus involvebant hieroglyphicis, ut paucis nota eo plus venerationis haberent. De Chaldaeis notamus, quod apud illos parentes ipsi filios erudiverint, ut scientia hic propagata fuerit ope traditionis ~~neglegentes~~, ut loquitur Stanley. Part. XII. Cap. VIII. Præterea Philosophi amplitissimis muneribus fungebantur. Institutioni autem huic privatæ vacabant, quantum per negotia publica licuit. Philosophi apud Persas, tantæ fuerunt dignationis eorumque doctrinæ, ut nemo ad rempublicam accesserit, nisi prius hisce scientiis probe fuerit instructus. Ex hisce jam positis consequitur, Philosophis orientalibus indulsum fuisse libere philosophari. Nam cum in tanta constituti fuerint dignitate, quis impediret, quo minus quod de rebus philosophicis sentiebant, libere profiterentur? Neque ulla ostendi potest ratio in contrarium. Nec enim periculum erat, ne quid proferrent, reipublicæ noxium, quum in illa versarentur luce, ut partim propria experientia, partim usu & convictu eorum, qui publica administrabant negotia, quid societati humanæ & civili proficuum esset vel damno-

sum optime perdiscere potuerint. Quin autem  
Patiens tam libere, quam sincere cum filii e-  
gerint, vel nobis tacentibus res ipsa loqui-  
tur.

§. V.

**Q**uemadmodum Græci ab orientalibus hau-  
serunt philosophiam, quod §. proxime su-  
periori innuimus; ita nec in Græcia minor  
quam in Oriente extitit libertas philosophandi.  
Multi admodum hic philosophia operam dede-  
runt; nec ulla datur ejus pars, in qua excolenda  
& perficienda non elaboraverint Græci. Et  
quæ penes hunc populum diu viguit libertas  
Reipublicæ, spiritum quoque suum in Rem lite-  
rariam & philosophiam transfudit. Tanta ita-  
que opinionum ac dogmatum varietas & mul-  
titudo hic prodiit, tot fabricata sunt systemata  
philosophica, ut vix locum in orbe invenire  
liceat, ubi luxurians adeo ejusmodi novitarum  
extiterit preventus. Hæc autem doctrinas non  
privata solum institutione discipulis tradebant,  
verum etiam literis consignabant, & consigna-  
tas in publicum edebant, imo quacunque data  
occasione propagabant. Socrates quidem habuit  
scho-

scholam, quam discipuli magno numero fre-  
quentabant; idem nihilominus & loca ambulatio-  
nibus destinata adiit, & in foro ambulavit, & co se  
contulit, ubi inter plurimos versaretur. Nec  
ullam neglexit occasionem scientiae & veritatis  
ab his instillandæ. Libros non scripsit, do-  
gma vero ejus posteritati trididerunt discipuli  
Xenophon & Plato; quamvis hic in dialogis,  
quibus Socratem inducit loquentem, multa de  
tuo ingenio addat, quæ nunquam ab illo tra-  
dita fuerant; unde Socrates, Lyside Platonis  
lectio, quam multa inquit de me hic menti-  
tur adolescens. Æstimabatur Socrates ut Parens  
quidam philosophiæ Græcanicæ; quum sequo-  
ris ætatis Philosophi non pauci aliquid saltem  
de doctrina ejus decerptum magisque exultum  
suis systematibus infererent. Sic ex more So-  
cratis de quoconque argumento in utramque  
partem disserendi, hoc maxime arripuit Arce-  
silas, nihil esse certi, quod aut sensibus aut  
animo percipi possit. Sic Aristoteles, sic Zeno,  
sic Epicurus & alii quædam ex Socrate desumse-  
runt. Hoc tamen non efficit eos sectarios. Nam  
exigua admodum erat doctrinæ corum portio,  
quam

quam acceperant mutuam , vel potius cui inveniendæ occasionem a Socrate habuerant. Nec tamen in Graecia defuerunt Sectarii. Multi enim exstiterunt, qui vel Pythagoram, vel Platonem , vel Aristotelem , vel Zenonem vel Epicurum , aliosve Philosophos ita sequebantur, ut ne latum quidem ungues ab eorum scitis deflexerint. Et hi secundum dicta §. II. servitutis isti iubiliori obnoxii fuerunt. Sed objiciat aliquis, exemplo Socratis refutari, quæ de libertate philosophandi apud Græcos adduximus. Ideo enim supplicio mortis affectus perhibetur Socrates, quod ea de DEO rebusque divinis docuit, quæ fabulis Philosophorum, & erroribus vulgi contrariabantur. Sed hic erat prætextus, quo usus est Anytus odium ob causam privatam in Socratem conceptum expleturus. Nisque hoc unum ipsi intentabatur crimen, quin potius plurimum, licet falso reus agebatur. \* Nec parum ad damnationem contulit nimia sui & vitæ innocentia actæ confidentialia, qua more consueto causam agere apud judices detrectabat. Quid? quod vix ullum detur systema

B

phi.

\* Confr. Stanlejus , Part: III. Cap. IX.

philosophicum, quod cum fragmentis Poëticis & religione vulgi pagani confundere posset.

§. VI.

**P**rogradimur jam ad Romanos. His olim suspectum erat philosophiae studium, quod vererentur, ne eo imbellies & legibus minus obsequentes redderentur cives. \* Hunc vero metum inanem fuisse mox intelligebant. In primis Græcia in provinciæ formam redacta, cum incolis ejus frequentius & vitæ & negotiorum commercium intercessit Romanis; unde factum, ut artes Græcanicæ & præsertim philosophia sensim ad eos trasmigrarent. In Græciam filios Eloquentia & philosophia instruendos miserunt Romani. Romam venerunt Græci Philosophi, ibique docuerunt. Et qui primi Romanorum se philosophiae adplicuerunt, non erant homines e vulgo, sed primarii in civitate viri, ut E. g. Cato, Brutus, Lucullus, Cicero aliisque. Quin autem hi magna gavisi fuerint libertate philosophandi, eo minus est dubitandum, quo aciores erant vindices publicæ libertatis præser-

tim

\* Plutarch. in vita Catonis cens.

tim Brutus & Cato. Nec post mutatam regi-  
minis formam & introductam monarchiam in  
angustias redacta est philosophia. Octav. Augustus  
artium ingenuorum & philosophiae maximus erat  
Patronus. Vespasianus constituit publicos Professo-  
res, iisdemque salario addixit. M. Aur. Antoninus  
non solum philosophiae ejusq; cultoribus tavit, sed  
ipse quoque insignis erat Philosophus, & scripta  
consignavit philosophica, quæ ad nostram quo-  
que ætatem pervenerunt. Hic autem observan-  
dum est, Romanos didicisse tantum philo-  
phiam Græcorum, sed parum vel nihil eidem  
addidisse. Sic Cicero lingua latina varia argu-  
menta philosophica pertractavit, ita tamen, ut  
partim Academicos, partim Stoicos, & in pau-  
cis Aristotelicos sequeretur duces, eorumque do-  
gmata, pro insigni qua polluit eloquentiæ fa-  
cultate illustraret. Idem de Seneca adfirmandum,  
qui Stoicis potissimum subtilitatibus delectabatur,  
ut alios prætereamus. Quod vero Romani in  
philosophando intra metas ab aliis positas, ita  
substiterint, ejus rei causa non absurdè repeti  
potest ab ipsa imperii magnitudine & cum ejus  
administratione conjuncta multitudine negotio-

rum. Viris practicis non plus temporis conce-  
debatur philosophiae impendendum, quam  
quod publicis negotiis suffurabantur. Et qui vi-  
vaciore erant ingenio, ad Rempublicam accede-  
re voluerunt. Hinc plures eloquentiae se confe-  
crarunt, quam aliam ad rempublicam esse cre-  
debant. Maxime quoque impediebatur Philosophiæ  
cursus & incrementa, tam bellis externis,  
quam potissimum motibus internis, quibus vasta  
illa imperii moles identidem conqvassabatur.  
Quod autem reliquum fuit literarum & Philosophiæ  
lumen, id gentium barbararum incursionses cum  
ipso tandem imperio oppresserunt.

§. VII.

**E**xponendum quoque est, quæ sub Papi-  
lmo fata subierit libertas philosophandi.  
Quibus ex feminibus conceptus sit Papismus,  
quibus augmentis creverit, & quomodo de-  
mum ad maturitatem pervenerit, viri erudi-  
tissimi ac perspicacissimi dudum explicuerunt.  
Id autem extra controversiam positum est, il-  
lum constitutum esse ex inceptiis, figmentis &  
fraudibus innumeris; qui omnis apparatus id si-  
bi propositum habuit, ut Papa, & qui ipsi  
ad

addicti erant, in conscientias primum, & mox  
in bona hominum, existimationem & vitam  
absolutum dominium exercerent, imo ipsa or-  
bis imperia & eorum jura invaderent sibi que  
subjicerent. Quum vero facile intelligerent mor-  
talium callidissimi, huic instituto nihil magis  
esse contrarium libertate philosophandi, no-  
stra postrema erat cura, hanc partim opprimere,  
partim ita flectere ac moderari, ut rebus inde  
suis nihil existeret periculi. Scholæ quidem in  
Papismo erant, in quibus prima duntaxat literarum  
& religionis rudimenta tradebantur. Qui vero  
in hisce docebant clerici erant, adeoque arctis-  
simo subjectionis vinculo Papæ obstricti. Hi di-  
scipulis instillabant principia servitutis, quorum  
imprimis pertinet doctrina de eminentia & po-  
testate Papæ, & obsequio illi, ut Vicario DEI  
sine exceptione praestando. Nec multo melior  
erat conditio Academiarum. Et haec tal-  
tem qua maximam partem auctoritate Pontificis  
instituta sunt, atque supremæ ejus inspectioni  
subjacebant omnes. Episcopi erant Cancellarii  
vel Rectores perpetui. Ex ordine clericorum  
elgebantur Professores. Qvis hoc rerum statu  
audet.

auderet libere philosophari? Nec desunt rerum testimonia. Virgilius Episcopus Salisburgensis a Benifacio Archiepiscopo Moguntino publica censura castigatus est, quod statueret dari antipodes. Sunt, qui illum hanc ob culpam a Papa Zeharia munere privatum referant.\* Id talitem indubium est, eundem Pontificem misisse legatos, qui hac de re quam diligentissime cognoscerent, additis mandatis ut si convictus fuisset reus, sacerdotii honore exutus Ecclesia pelleretur. Tanti discriminis erat Mathesin colere & Astronomiam. Nec periculi expers fuit scientia naturalis reliqua. Qui enim in ea aliquantum supra vulgum sapientabant, his objiciebatur crimen magiae, ut exempla Alberti Magni & Cornelii Agrippæ docent. Quid? quod ipse Papa Sylvester II. quum studio philosophico impensis operaretur Magiae suspicionem non evitaverit. Politicam vel attingere vix ausus est quisquam. Hanc enim considerabant ut sapientiam quandam diabolicam, cui filii tantum hujus seculi studerent, & quæ veræ sapientiæ ac prudentiæ e diametro opposita esset. \*\* Ratio ejusmodi proscriptionis est in

\* Conf. Baile. titulo Virgile. \*\* Conf. Gundelingii hist. Liter: Cap. IV. Secilio II. §. LXXXI.

in promptu. Veræ namque politicæ palmarium est munus, Principum & imperii civilis iura adstruere, quæ ut procularentur exigebat ratio status Monarchiæ Papisticæ ; quare altum de illis voluit esse silentium. Nec tamen ab omni Philosophia media hæc ætas abhorruit. Existabant nimis Scholastici, qvibus Aristotelica potissimum placita arridebant. Hi autem scripta Aristotelis non habebant, atque si habuissent, non intellexissent, utpote lingvæ Græcanicæ ignari, verum versionibus utebantur latini, & quidem deductis ex alia versione nempe arabica, de qua quid sentiendum sit, vel inde judicari potest, quia interpretes Arabes, lingvam græcam vix recte intelligebant, & qui ex Arabica in latinam Aristotelem transmittenrent, vix Arabum sensum ubique adsequerantur. Quin itaque loco veri Aristotelis monstrum quoddam vel spectrum ejus potius prodierit, nullum superest dubium. Interim umbra quædam libertatis philosophicæ apud Scholasticos mansit, quum de notionibus atque ideis acriter

\* Confr. Salmasius in Praefat: ad tabul Lebet:

ter inter se digladiarentur. Primaria litis materia erat quæstio; an in solo intellectus residerent universalia, an vero pratera in re ipsa agnoscerent fundamentum. Qui priorem tuebantur opinionem Nominales, posterioris assertores Reales dicebantur. Neque hoc, quidquid erat libertatis illis invidebat regnum papisticum. Ad ejus enim interesse spectabat, quod homines in speculationibus vanis atque sterilibus ingenio abuterentur, adeoque sic avocarentur ab investiganda vera ac genuina rerum divinarum & humanarum scientia, qua nihil esset aptius degendo mysterio iniquitatis. Res planior erit, ubi seorsim in considerationem venerint variæ portiones doctrinæ scholasticæ, ejusque in illis indoles ac genius. In Logica sibi triumphare videbantur, quam instrumentum instrumentorum, artem artium & solem orbis rationalis appellabant, verum tantum abest, ut de veritate invenienda & apta methodo disponenda aliquid solidi docuerint, ut potius hanc doctrinam inanibus tricis & sterilibus quæstionculis corrumperint perverterintque & in artem quandam nugatoriam transformaverint. Metaphysicam scien-

scientiarum reginam salutabant, sed quam pa-  
riter tot entitatum, hæcceitatum aliarumque in-  
utilium abstractionum panniculis induabant, ut  
nonnisi in regno tenebrarum regiam dignita-  
tem tueri potuerit. Theologia naturalis ex prin-  
cipiis metaphysicis tantum, & illis quidem, ut  
modo iuuimus corruptis, tradebatur, non ve-  
ro ab experientia & contemplatione mundi,  
quæ una est vera ejus tradenda ratio;  
quare non potuit non fontis impuri reti-  
nere saporem. De Pneumatologia reliqua &  
Psychologia idem dictum esto. Philosophia de-  
niqve moralis Scholasticorum variis quoqve vi-  
tis erat infecta & præsertim quidem hisce: I.  
Neglexit considerationes naturæ humanæ, qua-  
camen in ista doctrina nihil magis est necessa-  
rium. Nam ut omnia officia naturæ humanæ  
convenire debent, ita quæ circa illa versantur  
præcepta, accuratiorem ejus notiūam fundamenti  
instar præsupponunt. II. Metaphysicas specula-  
tiones intrusit, quæ cum in omni philosophia  
parum, in hac disciplina minimum adferunt  
utilitatis. III. Questiones spiculas & ineptas ma-  
gno numero concumulavit. IV. Certa non le-

quebatur principia, sed modo a ratione, modo  
a Scriptura, modo a Pontificum decretis argu-  
menta depromisit. V. Dubitationem & incer-  
titudinem fovit, adeoque viam pandit scepti-  
cismo morali, imo probabilismo Jesuitico, quo vitæ  
ac moribus nulla capitalior pestis existere potuit.  
Quod autem magnus ille Grotius e sterquilinio  
Scholasticorum aliquantulum auri eruerit, id va-  
sto ejus ingenio est tribuendum. Leibnitius quoq;  
de Scholasticis mitiorem sententiam dixit. De  
cetero commune dudum orbis eruditij judicium  
existit, eos parum vel nihil ad promovenda  
philosophiæ augmenta contulisse.

## §. VIII.

**D**Educit nos ratio ordinis ad considerandum,  
quomodo libertas philosophandi restituta  
& in orbem Europæum postliminio fuerit redu-  
cta. Viæ tantæ mutationi singularis quædam-  
torum conspiratio aperuit. Constantinopoli a  
Turcis occupata, viri quidam doctissimi salutis  
caussa interiora Europæ loca petiverunt. Hi  
lingvæ græcæ notitiam, barbarie temporum in-  
termortuam & propemodum extinctam resusci-  
tarunt; adeoque id effecerunt, ut ab impu-  
ris

ris rivulis ad ipsos veteris eruditionis fontes homines revocarentur. Exules isti magnam bonorum librorum suppelleatim secum attulerunt, aliisque faventiori mercurio usis, extiterant autores, ut sumptus præberent, quibus hi thetauri, a Turcis auri non doctrinæ avidis redimerentur. Et quod mireris, multi eorum præter græcam, latinam quoque lingvam callebant, quare admodum erant idonei ad monumenta græcanica in hanc transferenda, quod & re ipsa præstiterunt; ceu de Trapezuntio, Bessarione, Gaza, Argyropylo, aliisque constat. Renascituræ philosophiae obstetricias quoque manus præbuit liberalis Principum & Magnatum favor. Perennis hæc est gloria Alphonsi Neapolis & Arragoniæ, Ludovici XI. Galliæ, Mathiæ Corvini Hungariæ, Regum, ut & Medicorum Colmorumque, Principum Florentinorum, aliorumque. Accessit incomparabile Typographiæ inventum, quo factum est, ut ingeniorum fetus, qui ante non nisi tarde & multo cum labore ac sumtu propagabantur manu scribarum, jam facili negotio & leviori impensa in infinitam multitudinem excreverint.

His ita præparatis, reformatio religionis, ardenterissimis multorum votis dudum exoptata, tandem advenit, cum iuamine divino humanum juxta orbi restituens. Erat Lutherus barbarie & præfertim philosophiæ scholasticæ intensissimus & irreconcilabilis osor, cuius Plautino saepe perfricandæ nullam intermisit occasionem. Nec leve momentum ad literas & philosophiam revocandam præstisit acutum juxta ac modestum Melanchthonis ingenium, & multiplex ac profunda eruditio. Ad hoc suam quoque contulit symbolum Erasmus, & illam haud spernendam, licet professione externa facris purioribus non esset addictus. Quid multis? ubi in exilium ejiciebarur papismus, impedimenta philosophiæ ab eodem enata, simul removebantur; & qui ante metu Papæ ne hincere quidem ausi fuerant, jam suam de rebus divinis & humanis libere proferebant sententiam. Equis autem passibus procedebant lingvarum & philosophiæ studia, quod in illa præfertim ætate admodum fuit necessarium. Nam antequam ulterius provehiri posset philosophiæ, prius indagandum erat, quid oīm in orbe lucis fuerit. Id autem ut

luc.

succederet negotium, e re erat, monumenta veterum undique conquererentur, a mendis purgarentur, & omnia adhiberentur subsidia, quæ ad illa intelligenda aliquid possent conferre. Recte igitur, & quidem ex singulari providentia divina factum est, quod maxima quælibet ingenia studio lingvarum, Criticæ & Philologiarum consecraverint, adeoque veterum sapientia reclusa, ad acquirenda nova scientiarum augmenta viam paraverint. Multis etiam post reformationem placuit philosophia Aristotelica, sed quam non e vitiōsis versionibus, ut Scholastici sed ex Aristotele ipso didicerunt. Et si dicendum quod res est, ad tempora usque Cartesii maxima Aristotelis auctoritas mansit. Nec tamen deerant, qui aliis quoque Philosophis pretium statuerent. Sic philosophiam Stoicam excoluit Lipsius, Epicuream Gassendus; & Plato, ut olim, ita hac etiam ætate suos habuit admiratores. Progressu vero temporis non satis esse ducebant philosophiam veterum intelligere & explicare; sed novis quoque excogitandis & studiis & operam accommodarunt. Namis vero prolixum foret recensere omnes,

{qui}

qui hoc & superiori seculo vel novas veritates invenierant, vel saltē invenisse sibi sunt visi, quod vastum quoddam historiæ opus absolveret. Nostro instituto sufficerit, nonnullos tantum adduxisse, qui vel meritis vel fama prævaluerunt.

Cæteros inter primum sibi locum jure quam optimo vendicat Illustris Baco de Wurtembjo; qui ingenio instrudus erat subtili juxta ac solido & vere architectonico, quod non solum omnes ad scientias eadem vi propendebat, sed ad RempUBLICAM literariam instituendam ac dirigendam ipsa prouidentia destinatum videbatur. Admirationem auget, quod vir a primis adolescentiæ annis ad senectutem usque negotiis gerendis intentus, tantum profuit scientiis, quantum nemo unus eorum, quorum per integrum vitæ spatium, hoc unicum fuit negotium. Hic veterum defectus ingenue detexit, quod in unaquaque scientia desiderabatur, aperuit, & modum docuit, quo scientiæ & novis incrementis ditarentur, & generi humano redderentur proficiæ. Consilio ejus debentur societates scientiarum in Anglia, Gallia, Germania & alibi institutæ. Nec dubitamus, quin plus

plurima eorum, quæ post Verulanium sunt inventa, aliquo saltem modo illi accepta ferenda sint. Et plura inveniri potuissent, si consilia ab hoc Mentoce data, posteri pressius tuissent secuti; prout certo certius nobis persuademus, restare adhuc multa, in lucem & commodum societatis humanæ, suo tempore proditura, ubi viæ ab eo monstratae sequens, si quæ futura est, institerit ætas.

Renatus Cartesius, ingenium naturæ acutum artium mathematicarum cultura egregie expolivit. Quum vero inter eruditos, & præsertim in Academiis, maximam opinionum multitudinem ac varietatem observasset, omnem istam scientiam habuit dubiam & incertam, sibique proposuit nihil admittere, nisi quod ipse clare ac distincte perciperet, quod unicum statuit scientiæ omnis principium. Sic novum peperit philosophiæ systema. Sed quantocunque conatu certitudinem conjectabatur, in multis tamen ingenio indulxit, adeoque in veterum incidit errorem, quo, experientia relicta, loco genuinæ veritatis hypotheses protulit. Ut alia prætermittam, ~~κοσμογονία~~ eæjus est figmentum, ut ipse concedit, Quum mi-

itaque eandem adhibeat ad explicanda phæno-  
mena naturæ, quid de rationibus ex ejusmodi  
principio enatis, statuendum sit, quilibet fa-  
cile intelligit. Nec tamen censendus est, ni-  
hil omnino præstisſe. Primum enim philo-  
phiæ scholasticæ, cuius adhuc magna e-  
rat auctoritas, gravissimum & propemodum le-  
thale inflixit vulnus. Nec parum ad hoc ef-  
fecit, ut mathesis ad scientiam naturalem stu-  
dio majori applicaretur. Et quamvis in pneu-  
maticis ipsum punctum veri non semper attigerit,  
multa tamen tradidit, quæ suum adhuc pretium  
retinent & retinebunt semper. Ad libere denique  
philosophandum singulare exemplum præbuit &  
incitamentum.

Thomas Hobbes Anglus, Cartesio coævus, libertate  
philosophandi non utebatur solam, sed etiam ab-  
utebatur. In metaphysicis, physicis, moralibus &  
politiciis nova procudit dogmata, sed quæ maxi-  
mam partem impia sunt & monstroſa. Ut ex pluri-  
bus unum adterrari, horrendum unique erat,  
quod jus ac fas & honestum omne, imo ipsam  
religionem ab arbitrio imperii civilis suspende-  
ret. Hoc tamen inter merita illius potissimum  
ha-

habetur, quod ingenium humanum penitissime perscrutatus fuerit, adeoque occasionem præbuerit aliis inveniendi, quæ sine illo non reperissent, quod de se ipso fatur Pufendorfius

In hæc tempora incidit ætas Hugonis Grotii, qui profundum ingenium & vastam suam eruditionem ad explicandum Ius naturæ adhibuit. Ut primus erat, qui hanc scientiam ex professo tractavit, ita tantum in ea præstítit, ut vix alius ei æquiperari possit. Sive enim extensionem ipsam tractationis ad plurimos casus, sive argumentorum soliditatem, sive fecunditatem propositionum, sive exemplorum varietatem & copiam, quin reliquis palmam præripuerit, dubium est nullum. Rectius, vero fecisset vir magnus, si a particularibus quibusdam religionis Christianæ scitis abstinuisse, quibus attractis, tot Theologorum censuras in se provocavit.

Samuel Pufendorfius Juri Naturali exce-  
lendo se in primis applicuit. Doctrinas autem  
Grotianas partim adoptavit, partim quoque  
immutavit, quædam occasionem suppeditante  
Hobbesio invenit, nec pauca ex proprio inge-

nii fundo protulit, adeoque scientiam hanc in formam justi syste matis redegit. Variæ vero & quidem acerbissimæ querelæ, quas partum Theologi, partim Jurisconsulti quidam contra eum moverunt, vel ab incepto provenerunt Zelo, vel inde quod Pufendorffum ejusque dogmata parum intelligerent.

Si quis unquam libertatem philosophandi exercuit, certe is erat Christianus Thomasius, cui proprius fundus Jurisprudentiæ nimis arctus videbatur; quare ad omnes philosophiæ partes expatiatus est, ubique novatorem agens. In metaphysicis, pneumaticis & anthropologicis paradoxæ tradit, imo ridicula & absurdæ. In doctrina morali ad subtilitates nimias, & ab indele istius disciplinæ abhorrentes delabitur. In jure naturali non male docuit, quamdiu vestigia Pufendorffii pressit; sed ubi illis rejectis adhibet propria, in transversum abripitur. Et quis tolerit, quod legem naturæ nullam esse dicat, in locum ejus consilium tantum substituens? Principia justi, honesti & decori, quibus destinata sunt nodis solvendis non sufficiunt. In Jurisprudentia Ecclesiastica corniculum oculos figere sibi videtur,

ita tamen ut Principiis ubique aduletur, & in illos omnia jura Ecclesiæ transcribat. Id vero recte & cordate ab eo factum, quod persecutio[n]es religionis causa omnes, nulla non occasione dissimiladeat. De cetero varia passim apud illum obveniunt, quæ alibi frustra quæsiveris, & ubi recte fuerint applicata, suo non carebunt u[er]o. In primis id habet cum Hobbesio commune, quod in detegendis vitiis humanis admodum sit oculatus.

Gothofr. Wilhelmus Leibnitius vir stupendi ingenii, ad omnes artes ac scientias æque aptus, Mathematicus erat, Physicus, Metaphysicus, Historicus, Politicus, Jurisconsultus, imo Theologus; & cum viris, in singulis harum scientiarum versatissimis, frequens literarum commercium exercuit. In mathesi & metaphysica præsterrit excelluit. Mathesin invento calculi integralis & differentialis auxit. In metaphysicis etiam novas hypotheses excogitavit, quorundam in primis pertinet sistema Harmoniae præstabilitæ, cui doctrina de monadibus, nexu rerum. & alia id genus subterviunt. Nodum de origine mali per mundum suum optimum sol-

vere voluit. Præterea circa singulas sere scien-  
tias aliquid consilii dedit, qualia in actis Lipsien-  
sis occurunt non pauca; maluit quippe sua  
in alienis quam propriis hortis crescere.

Christianus Wolfius doctrinas Leibnitianas par-  
tim integras, partim aliquantum immutatas suo sy-  
stemati inseruit. Nec pauca ab aliis Philosophis  
præsertim Aristotelicis desumvit. Sic Aristote-  
lem in eo sequitur, quod ab Ontologia exorsus,  
notiones istas abstractas in omnes disciplinas in-  
gerit. Et vix ostendi potest dogma, quod  
Wolfi sit proprium. Id autem illi est peculia-  
re, quod methodum Mathematicis familiarem, &  
inde mathematicam dictam, rigide magis, quam  
alius aliquis ante eum, ad philosophiam applicu-  
erit. Hac tamen methodo nemo sibi illudi pa-  
tiatur, quasi omnia, quæ illa traduntur, ad  
certitudinem mathematicam sint evecta. Quæ  
apud Wolfium omnino inveniuntur hypotheses,  
ista licet methodo induxæ, hypotheses esse non  
desinunt. Observandum quoque est, eundem  
certaminibus cum Theologis, & quod illa co-  
mitabatur, tristi suo fato edictum, in operi-  
bus deinde latinis hypotheses ab illis, quæ sub-

demonstrationem cadunt, veritatibus, aliquando separasse; quamvis id semper non fecerit. Ut prius me explicem, qui hypothetica sejungere, & scholastica ipernere didicit, non solum sine periculo, sed etiam cum fructu Wolfium legere poterit.

Ex multis illis, qui de scientia naturali bene meruerunt, Duumvirostis celebratissimos Robertum Boyleum & Iacum Newtonum nominabimus. Quod Boyleum attinet, quam connatam habuit ingenii sagacitatem, hanc pertinaci cum labore, nec sine magnis sumtibus exercuit in arcanis naturae per experimenta explorandis. Quantum vero praefiterit, varia ejus, que exstant opera, satis declarant. Merita vero ejus extollit cum solida eratione sociata pietas non fucata; quippe quum naturam feruntaretur non solum ut homines nova luce perfundere, vel commoda societatis humanae augeret, sed etiam ut ex consideratione rerum variarum in mundo cognitionem Ipsius Creatoris erueret, & impietatem profligaret. Atque, ut post fata quoque salubre adeo institutum promoveret, salarium honorificum constituit

viro

viro docto, qui prælectionibus publicis ex contemplatione naturæ attributa divina illustraret. Inter alios quibus hæc tradita est Sparta, loeum quoque obtinuit Wilhelmus Derrhamus, cuius opere præstantissimo Physico-Theologico pari cum fructu & voluptate fruimur.

Isaacus Newton communis orbis eruditij iudicio tantum fuit ingenium, quantum vix singulis seculis nascitur. Inventa methodo fluxionum, quæ eodem recidit, atque calculus integralis & differentialis Leibnitii, eo successu mathesin ad scientiam naturalem applicuit, quo ante eum nemo, nec post illum adhuc alijs, quod vel ex Theoria motuum cœlestium patet. Præterea, quibus augmentis creverit mathesis & scientia naturalis acta societatum, scientiis perficiendis dicatarum, in primis docent. Ex hisce, autem speciminis loco allatis, liquere arbitramur, quantum libertas philosophandi faciat ad promovenda sci-  
entiarum incrementa.

SOLI DEO GLORIA.

